UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

118. Decisio Sacræ Rotæ Romanæ coram R. P. D. Zarate. Mindonien. Parochialis. Lunæ 3. Martii 1653.

urn:nbn:de:hbz:466:1-76432

Visual Library

mor. Gregor. XV. deciſion. 332. numero 4. & ibi Adden.

5. Nec releuat, quod Lombardus antea inſtitiſſet pro confirmatione in curia Epiſcopali, ſcilicet die 14. Decembris 1650. quæ inſtantia aliàs prodeſſe ſolet, ad ſuſtinendam donationem, etiam in præiudicium eorum, qui deinde ſimilem donationem obtinuerunt, vel à donatore fuerunt præſentati, & efficere, vt ſi petitio iniuſtè ſit reiecta, aut delata Donatario, minimè noceat, ſed quod confirmatio ſubſequens retrotrahatur, ad diem petitionis, *vt per cit.* Lambert. *de iurepatronat. lib. 1. part. 2. quæſt. 1. art. 2. num. 3. verſ. caſus autem.* Mantic. *dicta deciſ. 86. num 7. & 8.* Nam etiam admiſſa prædicta concluſione tunc locum haberet quando conſtaret de inſtantia facta coram Epiſcopo, aut eius Vicario, facultatem habente, & iſtis recuſantibus de recurſu habito ad Metropolitanum, pro compellendo Epiſcopo ad confirmandum Sanch. *reſponſ. moral. lib. 2. cap. 3. dub. 76. numero 14.* in quibus terminis intelligendum eſſe Lambert. *doctrinam declarauit* Mantic. *dict. deciſ. 86. numer. 9. verſic. reſponſum fuit.* Præterquam confirmatio donationis Nicandri nedum præceſſit per duos ferè menſes confirmationem donationis Lombardi, quinimo per 11. dies inſtantiam à Lombardo factam pro habenda confirmatione, ſi quidem iſta facta fuit die 14. Decembris 1650. vt conſtat ex Sum. Lombardi *num. 9.* quo caſu dubitari non poteſt de prælatione.

6. Vlterius nec debet attendi retroceſſio facta per Nicandrum ad fauorem Palumbi donantis 11. Octobris 1639. Sum. Raguccij *num. 6.* Tum quia in ea deficit conſenſus Ordinarij requiſitus etiam in tranſlatione iuriſpræſentandi, vt poſt Lambert. *de Iurepatron. lib. 1. part. 2. quæſt. 6. art. 4. notat.* Sanch. *reſp. moral. lib. 2. cap. 3. dub. 76. num. 7.* Tum quia iſta retroceſſio fuit limitata ad tempus ſcilicet durante tantum vita d. Alexandri Palumbi, atque ideo vlterius progredi non valuit, *ex reg. iur. in l. in agris ff. de acquir. rer. domin. cum ſimilibus* Guttier. *part. lib. 3. quæſt. 31. numer. 7.* Gonzal. *ad reg. 8. cancell. §. 1. proœm. num. 6.* Mantic. *dec. 232. n. 9. & dec. 267. n. 4.* Rota *deciſ. 690. part. 2. recent.*

7. Demum ex abundanti, & ex ſuppoſito quod omnes prædictæ donationes eſſent nullæ ex defectu legitimæ confirmationis Iuſpatronatus, nuſquam à d. Alexandro Palumbo donatore fuiſſet abdicatum, vt communiter probatur *ex dict. cap. ſeculum, & cap. illud de Iurepatron. & ex ſuperius traditis*, atque ideo potius deberet attendi præſentatio facta per Palumbum ad fauorem Raguccij, quem potuiſſe præſentare, ac ſi donationem non feciſſet, tradit in puncto Sanch. *d. cap. 3. dub. 77. num. 15. in fin.* Rot. *penes Put. dec. 18. lib. 2. in correct. in d. Feſulana Beneficij coram R. P. D. meo Bichio.*

8. Nec tunc obſtat, quod Raguccius qui duas habet præſentationes alteram à Nicandro, alteram à Palumbo, teneatur declarare, qua præſentatione vti velit *iuxt. text. in c. vt qui duas de elect. in 6.* quem habere locum in præſentatione, voluit Lapus *alleg. 8. numer. 3.* Caualer. *deciſ. 297. num. 3.* Nam concluſio iſta procederet in actore petente ſe inſtitui, ſecus verò in Reo, qui non tenetur declarare Rocch. *de Iurepatr. verſ. honorificum quæſt. 40. num. 72. verſ. limitata tamen.*

Atque ita pro Raguccio vtraque parte informante Domini concluſerunt, &c.

DECISIO CXVIII.

Sacræ Rotæ Romanæ coram Reuerend. P. D. Zarate.

Mindonien. Parochialis.

Lunæ 3. Martij 1653.

§. 1. VAcante per obitum Petri Fernandez Eccleſia Parochialis Sancti Vincentij de Lago Mindonienſis Diœceſis, controuerſia fuit orta inter Ordinarium Mindonien. prætendentem Vicariam dictæ Parochialis in concurſu prouidere, & Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Lucenſis aſſerentem ad ſe ſpectare Vicarij deputationem ad nutum amouibilis, tanquam in Eccleſia ſibi perpetuo vnita; Vnde præuio concurſu prædictus Ordinarius dictam Vicariam contulit Franciſco Mel. Capitulum verò Andream Pardo deſignauit, pro cuius inſtitutione coram Ordinario inſtetit; Quapropter appellationis cauſa commiſſa à Reuerendiſſimo Hiſpaniarum Nuntio cuidam Iudici Synodali Ordinarij ſententia fuit reuocata, & declaratum dictam Parochialem eſſe perpetuo vnitam Menſæ Capitulari Eccleſiæ Lucenſis, quæ poſtea per eundem Reuerendiſſimum Nuntium fuit confirmata, à cuius ſententia, cum mihi cauſa fuiſſet commiſſa, propoſui dubium. An eſſet locus concurſui, & Domini negatiuè reſponderunt.

2. Ex ea nimirum ratione; nam conſtat prædictum Beneficium Sancti Vincentij eſſe perpetuo vnitum Capitulo Lucenſi, adeo vt penes illud reſideat cura habitualis animarum, & exercitium duntaxat eiuſdem Curæ Vicario incumbat, vt patet ex Bulla fæl. record. Leonis X. edita de anno 1618. data in Summario Capituli *numero primo*, ex qua ſufficiens vnionis probatio inducitur Garz. *de Benefic. part. 12. capit. 2. numer. 226.* Barboſ. *de Iur. Eccleſ. tom. 2. lib. 3. capit. 16. numero 61.* Rota *deciſion. 9. & 10. de reb. Eccleſ. non alien. in antiq.* Buratt. *deciſion. 734. numero primo. & deciſion. 870. eodem numer. & in recent. deciſion. 174 numer. 5. part. 6. & deciſion. 448. numero primo, & ſecundo, part 4. tom. 2 & notant* Add. *ad ſanct. memor. Gregor. XV. deciſion. 196. numero tertio, verſ. quando igitur.* Quod procedit quando prædicta Bulla non ſit extracta ab originali, ſed ſit ſumptum de ſumpto accedentibus pluribus adminiculis infra referendis, Rota penes Caputaquen. *deciſion. 234. numero ſecundo, part. 1. & in Segobien. Habitus 28. Ianuarij 1613. coram Sacrato*, Iuncta etiam obſeruantia (quæ conſtat) Rota *in Vrgellen. Vnionis 27. Iunij 1640. coram Reuerendiſſimo Salamantino, & in Barchinonen. Parochialis 15. Februarij 1647. coram Reuerendiſſimo Terracinen. & deciſion. 482. numero tertio, part. 1. deciſion. 18. numero 1. deciſion. 703. numero octauo, part. 2. recent. deciſion. 469. numero quinto, coram ſanctæ memor. Gregor. XV. vbi Adden. littera B. deciſion. 641. numero nono, coram Caualer.* Quæ etiam præſumere facit iuſtificationem eiuſdem Bullæ concurrente longiſſimi temporis lapſu, Rota coram Seraphin. *deciſion. 1432. numero quarto, & recent. deciſion. 196. numero ſexto, & ſequentib. part. 7. in Barchinonen. Vicariæ 12. Decembris 1639. & 1. Martij 1640. coram Coccino, & 10. Februarij 1645. coram Eminentiſſimo Cardinali Carrado.* Accedente præterea, quod alias in exequutionem illius tanquam legitimè extractæ emanauit ſententia iuxta Caputaquen.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quen. *deciſion.* 351. *numero* 5. *part.* 2. Seraphin. *deciſion.* 1192. *num.* 3. *& deciſ.* 465. *num.* 3. *ad med. part.* 1. *recent.*

3. Effectuatio verò prædictæ vnionis adeſt in poſſeſſione capta per Capitulum Lucen. in executionem eiuſdem Bullæ de anno ſubſequenti 1519. dicto Summario *numero ſecundo.* Vnde non intrat regula reuocatoriæ Vnionis Adriani VI. & aliorum Pontificum, vt notat Garz. *de beneficiis dicta part.* 12. *capit.* 2. *numer.* 281. *&* 290. Barboſ. *in collect. Concil. ſeſſ.* 7. *de reformat. cap.* 6. *numer.* 10. *& de iure Eccleſ. dict. tom.* 2. *lib.* 3. *capit.* 16. *numer.* 65. vbi plures allegantur Rota *deciſion.* 402. *in princip. part.* 4. *recent. & deciſ.* 90. *numer.* 6. *verſicul. quod autem eadem part.* 4. *tom.* 2. *in Bouen. Abbatiæ* 3. *Iulij* 1645. *coram bon. memor. Arguelles, & in Peruſina Beneficij* 10. *Februarij* 1648. *coram Reuerend. P. D. meo Bichio.*

4. Contra quam allegari non valet, quod deficeret mandatum procuræ in perſona eius, qui nomine Capituli cepit poſſeſſionem, vel controuerti, quod tunc temporis poſſeſſio eſſet vacans, aut quod validè capta fuiſſet. Nam mandatum enunciatur in ipſo inſtrumento captæ poſſeſſionis, & præſumitur, tùm ex præcedenti titulo Vnionis, tum ex quo idem Procurator Inſtrumentum vnionis exhibuit, Caſſad. *deciſion.* 3. *numero quarto de procurat.* Rota *deciſion.* 176. *numero octauo, coram ſanct. memor. Gregor. XV. in Bononien. fideicommiſſi de Glauarinis* 2. *Iunij* 1639. *&* 18. *Maij* 1640. *coram Reuerendiſſimo Tarraconenſi.* Eoque magis, quia ipſe erat Canonicus eiuſdem Eccleſiæ, qui vti talis, etiam ſine mandato nomine ſuæ Eccleſiæ agere voluit ad illius vtilitatem ex *cap. coram* 34. *de offic. delegat. capit.* 14. *de confirmat. vtil. vel inutil.* Gloſ. *in verb. portitoribus in capit.* 1. *de procurat.* vbi Panormit. *numero octauo.* Hoſtien. *ad tit. de Procurat. numero decimo tertio.* Valboa *in cap. cauſam* 9. *numero tertio de probat.* Tuſch. *concluſ.* 821. *numero octauo, cum ſequentib. litera P.* Golinus *de procurat. part.* 2. *cap.* 5. *numero decimo ſeptimo.* Bouir. *ſingul.* 26. *numero decimo octauo.* Oſuald. ad Bonell. *lib.* 18. *cap.* 12. *Litera* K. Virgil. *de legitimatione perſon. capit.* 19. *numer.* 11. Modern. *de manutent. obſeruat.* 55. *numer.* 133. Rot. *deciſion.* 630. *coram Caualerio*, & Capitulum ſucceſſiuè de hoc Beneficio tanquam vnito diſpoſuit, vt infra apparebit. Vacuam verò fuiſſe poſſeſſionem dubitari nequit, ſtante reſignatione per poſſeſſorem facta, non ad fauorem alterius; vt ſupponitur, ſed liberè, per quam propterea ſtatim ac fuit à Pontifice admiſſa vacauit beneficium, eiuſque poſſeſſio fuit abdicata à reſignante, & vacua remanſit *cap. quod in dubiis de renunciat. cap. ſuſceptum de reſcript. in* 6. Zabarell. *conſil.* 210. *numero ſecundo* Pariſ. *de reſignat. lib.* 1. *quæſtione* 5. *numero vigeſimo ſeptimo.* Viuian. *de Iurepatronat. lib.* 13. *cap.* 10. *à numero* 6. Barboſ. *de Iure Eccleſ. dicto lib.* 3. *cap.* 15. *à numero decimo ſexto, & numera* 66. *cum ſequentib. & à numero* 148. Rota *deciſion.* 240. *numero* 3. *part.* 1. *recent. deciſ.* 231. *coram Merlino numer.* 3. *& in Hieracen. Parochialis* 4. *Decembris* 1651. *Deinde coram me.*

5. Validitas autem poſſeſſionis patet, ex facultate in literis Vnionis conceſſa Capitulo capiendi poſſeſſionem propria auctoritate, quæ non aderat in caſu ex aduerſo allegato *deciſion.* 7. *ſub numero nono, verſ. Poſſeſſio part.* 6. *recent.* & cui non cenſetur renunciatum, ex quo aditus fuit Executor, & de eius manibus capta poſſeſſio, dum hæc omnia extraiudicialiter emanauerunt Bart. *in l. creditore numero* 26. *Cod. de pignor.* Iaſ. *in l.* 2. *numero* 113. *verſicul. volenſ. tamen Cod. de Iure Emphyt.* Cancer. *var. reſolut. tom.* 3. *cap.* 19. *numero vigeſimo quinto.* Rota coram Seraphin. *deciſion.* 1903. *numero* 1. *in Romana ſeu Veliterna reſtitutionis in integrum* 16. *Decembris* 1646. *Hac verò & ſequentib. coram Reuerend. P. D. meo Bichio.*

6. Actus verò obſeruantiæ oſtenduntur, Primo ex mandato procuræ ad nominandum Vicarium, & nominatione eius vigore facta de anno 1556. ſub enunciatiua prædictæ Vnionis, & Bullæ Leonis X. cum facultate, amouendi Capellanum, & alium nominandi, & apponendi, prout ipſe Procurator nominauit Rodericum Diaz approbandum ab Epiſcopo, vt in dicto Sum. *num.* 3.

7. Deinde ex ſententia Ordinarij Mindonien. ad fauorem Martij Manriquez vti nominati à Decano, & Capitulo ſub eadem enunciatiua Vnionis dicto Summario *numero quarto.* Maximè cum per poſſeſſionem à dicto Manrquez captam etiam probetur præſentationis effectuatio Cald. *conſil.* 12. *de Iurepatron.* Rota *per Buratt. deciſion.* 111. *numero ſecundo.* Quibus accedit alia nominatio cum conſenſu Capituli in perſonam Petri Fernandez de Rico, vel potius permutatio facta de anno 1625. quæ habet vim nominationis, & præſentationis Rota *deciſion.* 792. *numero ſeptimo & octauo, part.* 1. *diuerſ. & deciſion.* 196. *numero tertio, part.* 1. *recent.* Ex quibus etiam præſumuntur nominationes medij temporis vt ex Seraphin. *& aliis ibi allegatis ponderauit in puncto Vnionis* Rota *in Peruſina Beneficij* 10. *Februarij* 1648. *§. concurrunt coram Reuerend. Patre Domino meo Bichio.*

8. Quæ obſeruantia non poteſt referri ad alium titulum; quam ipſius Bullæ Vnionis, quia prædicti actus apparent explicitè geſti in vim Vnionis. Ac Teſtes deponunt de nominationibus factis à Capitulo etiam in menſibus reſeruatis, quod non licuiſſet, ſi vt prætenditur emanaſſent ex cauſa Iuriſpatronatus quod cum eſſet Eccleſiaſticum cecidiſſet ſub regula reſeruatoria menſium, Rota *in Compoſtellana Parochialis* 17. *Iunij* 1644. *coram Eminentiſſimo Cardinal. Cocchino, &* 10. *Februarij* 1645. *coram Reuerend. Patre Domino meo Veroſpio.*

9. Præterea adſtipulantur tres Teſtes formiter examinati pro parte Capituli Lucen. eius Summario *numero decimo*, deponentes de viſu, & certa ſcientia de nominationibus continuo factis à Capitulo recenſendo ſingulares perſonas nominatas, & reddentes optimas, & ſufficientes rationes, qui propterea bene probant Rota *coram Buratt. deciſion.* 578. *numero ſexto, & deciſion.* 270. *numer.* 1. *part.* 7. *recent.*

10. Et vlterius addunt fructus Beneficij vniti perceptos fuiſſe à Capitulo relicta ſolum pro Vicario certa portione pro congrua ſuſtentatione, vt etiam deponunt Teſtes ex aduerſo examinati pro parte Franciſci quod quidem eſt ſignum Vnionis, & Curæ habitualis penes Capitulum Lucen, cui vnio facta fuit Ioan. Andr. *in capit. expoſuiſti. numero octauo, de præbend.* Rota apud Caputaquen. *deciſion.* 339. *numero tertio, part.* 3. Mohed. *deciſion.* 5. *in fin. de decimis deciſion.* 204. *numero primo, in fine part.* 2. *deciſ.* 580. *numero octauo, & decimo quinto, & numer.* 19. *in fine part.* 4. *tom.* 3. *recent in Romana Iurium Parochialium* 4. *Decembris* 1651. *coram Reuerend. P. Domino meo Celſo.* Quamuis hæc fructuum perceptio non requiratur, vt dicatur vnionem effectum ſortitam fuiſſe, vt tradit Nicol. Garz. *dict. part.* 12. *cap.* 1. *numero* 29. Ricc. *in praxi for. Eccleſ. reſolut.* 376. *numero* 6. Barboſ. *de Iur. Eccleſ. dicto lib.* 3. *capit.* 16. *numer.* 65.

Nec

11. Nec dubitari poteſt quin cura habitualis reſideat penes Capitulum in Luceñ. Actualis verò pænes Presbyterum ab eo nominandum extantibus amplisſimis clauſulis in Bulla contentis ſcilicet cum omnibus iuribus, & pertinentis iuxta tradita per Rotam apud Caualer. *deciſion.* 599. *numer. ſecundo & quarto. Merlin. deciſ.* 115. *numer.* 6. *verſ. præterea, &c.* & facultatem conceſſam nominandi Presbyterum ad nutum & amouibilem pro exercitio Curæ, Rota *deciſ.* 120. *numer. decimo verſ. & reſeruatur parte prima, recent. & coram Merlino dicta deciſ.* 115. *numer.* 4. & 5. Atque etiam ex vnione facta per viam incorporationis, vt colligitur ex verbo *incorporamus*, quod efficit, vt vnio dicatur acceſſoriè facta Garz. *de re benef. part.* 12.*c.*2.*num.*51. & 56. *Maſſobr. in prax. haben. concur. prælud.* 13. *dub. ſecundo* Barboſ. *cum ibi adductis de offi. Epiſc. alleg.*60. *à num.*23. Rota *deciſ.*352. *num.*7.*p.*4 *recent. & in Cathacen. prætenſæ* 23. *Maij* 1650. *coram* R. P. D. *meo Bichio.*

12. Ex quibus omnibus inconcuſſa remanente vnione non debet eſſe locus concurſui, ſed abſque eo conferendum eſt Beneficium ad nominationem Capituli iuxta diſpoſitionem Bullæ Pij V. 47. in ordine §. 4. tradit Gonzal. *in regul.* 8. *Cancell. gloſſ.*5. §. *tertio num.* 53. Garz. *de benef. part.* 9. *cap.* 2. *num.* 289. *& ſeqq.* plures quos refert Barboſ. *vbi proximè dicto num.* 23. *cum ſeqq.* Rota *deciſ.* 785. *num.*2. *& ſeqq. part.* 3. *recent. & apud Merlin. dicta deciſ.* 115. *num.*2. *& dec* 187. *num. primo & penes Caual. dec.* 595. *num* 4. *& ſeqq. & in Gerunden. Capellæ* 20. *Martij* 1649. *coram* R.P.D. *meo Bichio.*

13. Qua ſtante, non obſtant Teſtes in contrarium adducti deponentes beneficium tanquam Curatum ab Epiſcopis collatum fuiſſe vidente, ſciente; & non contradicente Capitulo Lucenſi Summario Capituli Mindonien. *num.* 1. & 4. Nam quamuis eſſent contrarij, cum ſe referant ad ſcripturas non probarent, niſi quatenus apparent in relato *Auth ſi quis in aliquo. C. de aden.* Rota *in Seguntina præſtimonij* 4. *decembris* 1592. *coram Orano, & deciſ.* 664. *ſub num.* 2. *part.* 3. *recent.* Immò cum ex ſententiis & ſcripturis publicis ſupra relatis conſtet de contrario, nempè Capellanos, & Vicarios fuiſſe à Capitulo nominatos, & nunquam prouiſos per concurſum talis probatio præualet probationi reſultanti ex prædictis Teſtibus *l. cenſus* 10. *ff. de probat. gloſſ. in c.* 3. *loco verbo teſtium eodem tit.* Rota *deciſ.* 64. *num.*17. *part.* 5. *recent. in Placentina Beneficij* 29. *Maij* 1648. *coram R. P. D. meo Celſo in Romana dotis* 5 *Iunij eiuſdem anni coram eodem.* Præcipuè cum concordent cum aliis Teſtibus Capituli Lucen. aliaque adminicula concurrant *Crauett. conſ.* 400. *num.* 35. Rot. *deciſ.* 61. *num.* 9. *coram Mant. & deciſ.* 487. *num.* 5. *verſ. & habent iuris præſumptionem part.* 2. *recent.*

14. Præterquam dicti Teſtes non excludunt, quod præceſſerint nominationis Capituli Lucen. & ita intelligendi ſunt, cum recenſeant perſonas ab Epiſcopo prouiſas, quas habuiſſe collationem præuia nominatione Capituli conſtat ex dictis publicis Inſtrumentis, vt accidit in perſonam Martij Manriquez, cuius prouiſione allegari non poteſt prædictam obſeruationem fuiſſe interruptam, eo quod de anno 1611. prouiſus fuiſſet in concurſu & collationem obtinuiſſet, ſed ex cauſa ceſſionis illi factæ à quodam Varella; Nam verius eſt quod Varella, & Manriquez fuerunt inſimul examinati, & Varella fuit reprobatus, Manriquez verò approbatus, qui cum poſtea conſequutus fuiſſet nominationem à Capitulo Lucenſi, cuius vigore etiam reportauit inſtitutionem, vt in dicto Summario *num. quarto.* Vtique dici non debet, quod illi collata fuiſſet Vicaria ex ceſſione dicti Varellæ.

15. Nec magis refragatur, quod aliquando Vicaria per concurſum fuerit prouiſa, cum ex eo præiudicium dicto Capitulo, non inferatur, nam licèt id aliquoties conſenſerit plures nominando inter quos fieret concurſus, non ideo ſibi ademit facultatem in futurum vnicum nominandi, cui abſque concurſu, & cum ſolo examine collatio fieri debeat, vt in terminis reſpondet Rota *deciſ.*443. *num.* 7. *verſ. non obſtat, & num.*3. *par.*5. *tom.*2. *recent. vbi num.*9 *verſ. & quatenus, &c.* ſubditur præſumi poſſe concurſus factos fuiſſe per errorem, ſequitur Rota *dec.*580. *n.* 4. *& tribus ſeqq. p.*4. *tom.*3. *dec.* 16. *n.*15. *verſ. neque obſtare, & n. ſeqq. p.*6. *recent.* vbi redditur ratio, quia ad formam Conſtitutionis Pij V. faciendæ ſunt collationes, & Conſtitutio continet decretum irritans, quod inficit omnem poſſeſſionem contrariam Rota coram Caualer. *dec.*599. *in fine coram Merlino dec.* 31[illegible]. *n.*8. *& in dicta Gerunden. Capellæ* 20. *Mart.* 1645. §. *non obſtat il primo, &* 27. *Ianuar. eiuſdem anni* §. *quia neceſſitas in fine coram* R.P.D. *meo Bichio.*

16. Minus autem obſtat, quod dictum Beneficium fuerit collatum tanquam vacans, quod repugnare videtur vnioni, cum vnita non dicantur vacare. Nam huic obiectioni reſponſum fuit vacationem largo modo verificari etiam in Beneficiis vnitis, & manualibus, cum vacare dicantur per remotionem, & per obitum *gloſ. in Clem. vnica,* §. *promiſſa verbo reuocari propè med. verſ. & ſcias de ſupplen. negl. Præfat. Cart. ibidem num.*8. *Vitalin. num.*9. Gonzal. *ſuper reg.* 8. *Cancellariæ gloſ.*15. §.2. *ſub num.* 24. & reſpondit Rot. *in Peruſina Beneficij* 16. *Februarij* 1648. §. *fin. coram R.P.D. meo Bichio.*

17. Denique non aduerſatur, quod de anno 1625. huiuſmodi Parochialis fuerit collata Vicario non ad nutum amouibili, iuxta diſpoſitionem Bullæ, ſed perpetuo, & quod ſententia Ordinarij ſuperius relata loquatur de Vicaria perpetua. Nam licet fuiſſet datus Vicarius perpetuus, & Parochialis in titulum collata non ex eo alteraretur vnio iam facta, aut tolleretur obſeruantia præcedens quoad exercitium Curæ, & modum prouidendi, vt in terminis firmauit Rota coram Caualer. *dec.*595 *num* 2. *verſ. & licet & n. ſeqq. coram Merlino dicta dec.* 115. *num.* 13. *& in dicta Peruſina Beneficij coram* R.P.D. *meo Bichio,* ſtante præſertim diſpoſitione Concilij Trident. *ſeſſ.*7.*c.*7. *de reform.* quæ arbitrio Epiſcopi remittit reductionem Vicariæ temporalis in perpetuum, vt tradit Garz. *de Benef. p.*11.*c.*2.*n.*9. Barboſ. *in Collect. Concilij dicta ſeſſ.* 7.*c.*7 *num.* 15. vbi ait idem procedere, quamuis in litteris vnionis eſſet ſtatuta temporalitas *& de offic. Epiſcopi alleg.*72. *n.*190. & refert ita fuiſſe declaratum per Sacram Congregationem Concilij, & animaduertit prædictam facultatem Ordinario competere, quando literæ vnionis emanarunt ante Concilium, & tunc requiri iuſtum arbitrium & neceſſariam cauſam, quodque in viſitatione fiat alioquin poſſe appellari à prædicta reductione, vt etiam tradit *Flores de Mena var. q.*10. *num.*47. Garz. *de benef. dicta part.*11.*c.*2.*num.*8. quod ſequitur Barboſ. *vbi proximè ſequitur.*

Atque ita vtraque parte audita, &c.